

G.23. num. 5.

1756

5

DISSE
TATI
O IVRIDICA
DE REIC
NVDA PROPRIETATE
PLENO DOMINIO
VT ET
PROPRIETATIS DOMINO
SERVITVTEM IMPONENTE,

P. 18.

Q V A M
PRAESERTIM OCCASIONE
L. 4. et 15. in fin. ff. de usfr.
PRAESIDE
PHILIPPO JACOBO HEISLER

JVRIVM PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO

DIE I. IVLII MDCCCLVI.

PUBLICE PROPVGNABIT

RVDOLPH CHRISTIAN FRIEDEL

BEROLINENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
EX OFFICINA HILLIGERIANA.

EX OFFICINA HILLIGERIANA



DISSERTATIO IURIDICA
DE
IUDA PROPRIETATE
PENNO DOMINO
PROPRIETATIS DOMINO
SERVITATIM MISIONENTI

PHILIPPO JACOBO HERIBER
CHRISTIANI FRIEDEM
ADDITIONES
PRAEVIDE
TARANTUS
LAESESTIM OCCASIONE
GAVM

LIBRARIUS MEDIO-OCIO
DUDICIA HINCERNI

A

SON EXCELLENCE
MON SEIGNEVR
LE COMTE D'EMPIRE
GVSTAVE ADOLFE
DE GOTTER

MINISTRE D'ETAT, ET GRAND MAITRE
DES POSTES

DE SA MAIESTÉ LE ROI DE PRVSSE
CHEVALLIER DE L'ORDRE DE L'AIGLE NOIR
SEIGNEVR DE MOLLSDORFF

MON TRÉS-ZELÉ PATRON



A
MON EXCELENCE
MON SEIGNEUR
LE COMTE D'EMMET
GASTAVE ADOLFE
DE GOTTER
MINISTER DE L'ETAT, ET GRAND MARET
DU ROYAUME DE DANEMARQUE
DE SA MAISON LE ROI DE DANEMARQUE
CHEVALIER DE L'ORDRE DE LA TOURE NIGR
SEIGNEUR DE MORTSDORF
MON TRES-EXELLE PATRON

MON SEIGNEVR
DE VOTRE EXCELLENCE
Patioune ne feras jalousie sacc une bres aise
les couonnellenc ussac que de Ralbag
dhe le 10me

MON SEIGNEVR DE VOTRE EXCELLENCE

Loin de la basse coutume, j'ose offrir à
VOTRE EXCELLENCE les Thèses
que je viens de soutenir: Oui MON
SEIGNEVR, les sublimes qualités, et
la grace de VOTRE EXCELLENCE
pour les Etudes; qui donnent à ELLE tout le
droit d'être venerée pour MECENAT; me don-
nent en même tems les plus justes motives de ne
plus hesiter, où rejeter comme temeraire la
pensée d'offrir à VOTRE EXCELLENCE les
premices de mes Etudes.

Dab.
Dab.

Daignés MON SEIGNEVR, regarder d'un
oeil favorable le foible hommage, que je prens
la liberté de rendre à VOTRE EXCELLENCE.

Personne ne sera jamais avec une plus vive
reconnoissance ni avec plus de Zèle et de Respect
que je le suis

MON SEIGNEVR DE VOTRE EXCELLENCE

1
... ou de la partie continue, j'ose offrir à
VOTRE EXCELLENCE ses Très
de l'avis de toutefois: Qui MON
SEIGNEVR les emplois des
à Halle
ce 30 Juin
1756.
... le Prince VOTRE EXCELLENCE
bon, les Prides; qui donnent à ETTE tout le
jouit d'une veue de bon MECENAT; me don-
nant en même tems les plus justes louaves de ce
bien Jeuler, un lettrer comme tellement
louage d'ouvrir à VOTRE EXCELLENCE les
Dixi.

le très-humble et très-obéissant Serviteur
RODOLPHE CHRETIAN FRIEDEL.



CAPVT I.
DE
NVDA PROPRIETATE PLENO
DOMINIO.

CONTENTA.

§. I. *Vsusfructus a proprietate separabilitas stabilitur.* §. II. *Haec separatio gignit vsusfructus in causalem et formalem, proprietatis vero in plenam et nudam diuisionem.* §. III. *Facta vsusfructus a proprietate separatione proprietarius in LL. dominus vocatur, sed non aequa vsusfructarius.* §. IV. *Quam ob rem quaestio difficilis excitatur, an vsusfructus pars dominii sit?* quae §. V. negatur, simulque, *essentialia dominii in sola proprietate confitire, assertur, atque §. VI. probatur, ex quo §. VII., nudam proprietatem plenum esse dominium, concluditur, ac §. VIII. per L. 13. pr. ff. de A. R. D., praelertim vero per L. 25. ff. de V. S. confirmatur, deinde vero §. IX. obiectiones in medium adferuntur, ad quas facilius soluendas §. X. distinctio suppeditatur inter partes dominii essentiales et naturales seu accidentales, ut et inter dominium quatenus est totum *essentiale*, et quatenus est *totum accidentale*, simulque de *vsusfructu*, quo sensu sit pars dominii, staruitur, quae omnia §. XI. simili a feruntur *actus defuncto* illustrantur, et, quatenus diuisio *actus in plenum et minus plenum* admitti possit, definitur, et tandem §. XII. ad obiectorum solutionem deuenitur, et quidem a) diffi-*

2 CAP. I. DE NVDA PROPRIETATE

cili obiectioni ex L. 4. ff. de vſuſr. sumtae late responderetur, deinde §. XIII. b) texus L. 8. pr. ff. de reb. aucti. iud. poss. resoluitur, et porro §. XIV. c) argumentum ex L. 58. ff. de V. O. et L. 66. §. 6. de legat. 2. vt et §. XV. d) argumentum ex L. 78. pr. ff. de iur. dot. L. 2. pr. ff. quib. mod. vſuſr. amitt. et §. vſt. Inst. de vſuſr. denique §. XVI. e) argumentum ex L. 70. §. 2. ff. de fideiſſ. refellitur.

§. I.



Proprietas sine vſuſructu quid est? ius ferme inane, ager steriles et quasi sine anima corpus. Non est itaque, cur miremur, vtendi fruendi ius proprietati plerumque iunctum reperiri: propter vſumfructum enim potissimum dominia acquirimus rerum, easque nostras efficimus. Quodsi igitur fundum simpliciter stipularis; an praeter proprietatem et vſuſructus tibi debetur? me si audis, debetur omnino: adeo nempe fundi nomine vſuſructus contrineretur, vt eius veluti pars existat, nec fundus dari ex doctrina IVLIANI in L. 58. ff. de V. O. intelligatur, si vſuſructus detrahatur, et cur dari non intelligitur? quia videlicet vſuſructus emolumentum fundi continet L. 66 §. 6. de legat 2., quo sine proprietas inutilis foret. Quis autem crediderit, inutile ius te fuisse acquisitum, arque fundo in stipulationem deducto de fundi commodo atque emolumento non simul cogitasse? Iam vero nihil naturali aequitati tam est consentaneum, quam stipulationes caeterosque contractus ex mente et voluntate contrahentium ut metiamur L. 34 ff. de R. I. Haec quamuis ita se habeant, vtendi fruendi facultas quamuis proprietatis comes et pedissequa sit fere individua; ea tamen

tamen non est utriusque coniunctio, quae plane nullam patiatur separationem: enim uero non raro continet, ut penes alium proprietas sine usufructu, et rursus penes alium usufructus sine proprietate existat, id quod obscurum iis esse nequit, qui diuine Themidis sacrarum vel a primo limine salutarunt. Ex sexcentis, quae hanc in rem extant, legibus tres recitasse sufficiat. Usufructum a proprietate separationem recipere, et ab hac abscedere posse, nec non proprietatem saepe deducto usufructu legari, et tunc legatarium proprietatem consequi, usufructu apud heredem manente, denique in iudicio familiae ericundiae et communii diuidendo interdum alii proprietatem, alii usufructum adiudicari, in §. 1. L. 3. §. 2. et L. 6. pr. §. 1. ff. de usufr. legimus, quid? quod usufructus reuerii atque redire ad proprietatem, eique accedere et cum ea consolidari in L. 78. ff. de iur. dot. et L. 72. ff. de usufr. dicitur, quae phrasēs sane praecedentem usufructus a proprietate separationem non obscure demonstrant.

§. II.

Hinc notissima illa usufructus in causalem et formalem diuisio resultat. Illum DD. nominant, quando cum proprietate est coniunctus, hunc vero, si ab eadem separatus existit, BRVNNEMANN ad L. 4. ff. de usufr. Quodsi fortasse causalis et formalis voces ut obscurae, parum larinae reique designandae non satis aptae tibi haud arrident; usufructum in casu priore coniunctum in posteriore autem separatum cum Dom. D. CONRADI in diff. ad IVL. PAVLI ex libro singulari de iure singulari reliqua ibique Fragm. 2. §. 3, vel etiam hunc merum, illum autem mixtum, exemplo imperii meri et mixti, cum HOTOMANO Lib. 3. obs. 22. dicere, per me licebit.

A 2

IVLIA-

IVLIANVS causalem vsumfructum in L. 4 ff. de *vſuſr.*
accresc. vocat proprietati mixtum, PAVLVS vero in L.
 126. §. 1. ff. de *V.O.* proprietatis comitem appellat. Haec
 de *vſuſr.* Nunc de proprietate videbimus. Haec,
 quatenus est seiuncta ab *vſuſr.*, *nuda* in L. 72 ff. et
 §. vli. I. de *vſuſr.* dicitur, quatenus vero cum eodem
 coniuncta, plena in L. 78. pr. ff. de *iur. dot.* nec non *ple-*
na potestus in §. vlt. I. cit. nominatur.

§. III.

Hoc loco et hoc quin moneam, non possum me
 abstinere, nempe proprietate praeditum tametsi *nuda*
domini appellatione fere identidem in legibus exornari,
 eoque nomine etiam tunc venire, cum simpliciter po-
 nitur, atque *vſuſr.* alienus est. Testem praefer-
 tim VLPIANVM appello, cuius in L. 1. §. 1. ff. ad *SCT.*
Silv. haec sunt verba: *DOMINI* appellatione continetur,
 qui habet proprietatem, et si *vſuſr.* alienus sit. Adde,
 si lubet, L. 5. pr. ff. si *vſuſr.* pet. et L. 15. pr. ff. de *pigno-*
rib. An eodem se res habet modo, si de *vſuſr.* quaeritur? neutquam. Is in oppositione ad proprieta-
 riū *dominus* nunquam salutatur in legum romanarum
 libro, sed potius *eius*, qui *vſuſr.* habet, descrip-
 tionē vel *fructuarii* *nuda* appellatione commonistrari
 consuevit, adeo quidem, ut nihil occurrat in iure fre-
 quentius, quam *vſuſr.* dominio, et hoc *vſuſr.*
ff. si vſuſr. pet.

§. IV.

Et hoc ipsum est, quod, nisi omnia me fallunt,
 famosam aequē ac difficilem quaestionem controverſi-
 amque excitauit, vtrum scilicet *vſuſr.* pars dominii
 eſſen-

essentialis seu, vt ICti loqui amant, *substantialis* sit, adeo, vt nuda proprietas *dominium* vere dici nequeat, nisi eam *dominium* nominare velis *minus plenum?* an vero secus sentiendum, et dominii *essentia* seu *substantia* potius in sola proprietate reponenda? Valde hic torquentur DD., atque in varias distrahuntur partes. Euolue hanc in rem, nec operae te poenitebit, NICOL DE PASSE-RIBVS Tractatum de conciliatione legum P. 2. cap. 2. quæst. 10. per tot., vbi de hac quæstione in vtramque partem ex instituto agitur, variorumque variae recensentur opiniones. Dominium duabus partibus integrantibus, proprietate nimirum et vsufructu, constare, adeoque usumfructum, (causalēm putat: de formalī enim facilius concedunt, eum dominii partem non facere), inter partes dominii essentiales omnino referendum esse, plerique affirmant, quos inter præsertim HOMANVS cit. loc., VOETIVS ad ff. tit. de usufr. n. 3. et DONELLVS encl. apud HILLIG. Lib. 9. cap. 9. lit. B. sqq. multis hanc sententiam argumentis stabiliter eunt. Mihi, vt fatear, quod res est, transeundum in castra LODOVICI videtur, qui in Doctrin. Pand. Lib. 45. tit. 1. §. 2. dominium *plenum* dicit, vbi quis integrām proprietatem solus habet, nec interest, nuda ea sit, an cum usufructu coniuncta: usufructuarium enim non participare de dominio, rōpote cuius *partem essentiālem* (malim ego *essentiam* dicere), sola proprietas faciat, quam doctrinam suam in Colleg. iur. fœd. disp. 6. athes. 2. usque ad athes. 18. multo pleniore pertractatam manu sistit.

§. V.

Huius itaque ICti non solum, sed et quam maxime legum auctoritate fretus, statuere nullus dubito, usum-

A 3

fru-

fructum nec dominium esse, nec de essentia seu substantia dominii, sed hanc sola potius proprietate absolvi. Accipe asserti rationes. Fructuarium dominium non esse, non solum VLPIANVS in L. 43. in fin. ff. de furt. simpliciter asserit, sed et praeterea sequenti ratiocinio euincitur. Si res, cuius quis vſufructu gaudet, respectu vſufructuarii simpliciter aliena recte dicitur; sequitur, vſumfructum non esse dominium: si enim esset; res respectu vſufructuarii utique non aliena, sed propria vel sua dicenda foret L. B. DE WOLF P. 2. cap. 2. Iur. nat. §. 324. et 346. Atqui res respectu vſufructuarii simpliciter aliena recte dicitur per pr. Inst. de hered. inst., vbi haec extant: *alienus seruus etiam is intelligitur, in quo vſumfructum testator habet.* Sequitur ergo, vſumfructum non esse dominium. Accedit et hoc, dominum fructuario in LL. identidem opponi (§. 3. in fin.), id quod, me quidem iudice, male admodum fieret, si fructarius ipse dominus recte posset praedicari. Pone denique, vſumfructum speciem quandam dominii esse, et profecto necesse habebis, vſumfructum e seruitutum numero plane extirpare, cum explorati juris sit, *rem suam nulli seruire* L. 26. ff. de S. P. V., necesse praeterea, vſusfructus definitionem e pr. I. et L. 1. ff. de vſufr. delere, necesse, fructuarium rei immobilis deinceps a cautione pro expensis et reconuentione liberare, necesse denique, emtionem pro parte validam, pro parte vero inualidam, scisso nimirum pretio pro portione, dicere, quoties vſusfructus ementis est L. 16 pr. L. 18. pr. ff. de contrab. emt., quae et id genus alia, qua ratione cum L. 1. ff. de seruit. L. 15. §. 1. qui satisdar. cog. L. 16. §. 1. de contrab. emt. conciliare, et contra DD. torrentem defendere queas, tu videris.

§. VI.



§. VI.

Alia certe omnia in proprietate obtinent. Enim uero, hac ex toto cessante, res semper audit *aliena*, et *dominii* nomen vbiique exulat, de quo satis et abunde conductores, commodatarii et his similes, quos inter et vſufructuarios referendos esse, (§. praeced.) docui, teſtantur. Ait vero, posita proprietate etiamſi ab vſufructu nuda, mox *dominium* et quidem simpliciter praedicitur (§. III.), neque tunc res amplius aliena, sed *propria* statim vocatur *pr. Inst. de hered. inst.*, vbi in haec verba Imperator: *proprius autem Ieruus etiam is intelligitur, in quo nudam proprietatem testator habet, alio vſufructum babente.* Ex his, si quid video, prono conſequitur aliueo, proprietatem dominio adeo esse domesticam, propriam atque essentialiem, vt, ea sublata, quoque dominium tollatur, subsidente vero, et hoc subsistat. Verum conſequitur porro, proprietatem *solam*, h.e., exlusio vtendi fruendi iure, talem esse, ita quidem, vt adesse hoc ius, sed et abesse queat, faluo vbiique *dominii* nomine, salua substantia. Quis vero, amabo te! partem dominii essentialiem dixerit, quod etiam abesse, salua manente dominii essentia, potest? profecto hoc statuere quid foret aliud, quam dudum demonstratos Logicorum Metaphysicorumque canones sus deque vertere, aut *viam* praedicare velle, tam angusta loci demonstratione facta, vt neque vehiculum, neque iumentum ea inire possit *L. 13. ff. de seruit?* Non mediocriter haec doctrina HVBERI effato iuuatur, qui in *Praelect. Inst. Lib. 2 tit. 1. §. 13.* illud ius proprie dominium facere, huinsque essentiam constituere dicit, *quo res est nostra.* Atqui, subſumo, per proprietatem res est noſtra,

neu-

neutiquam vero per *vsumfructum*, vid. *cit. pr. Inst. de hered. instit.* Ergo etc. Et haec sunt, quibus pars posterior doctrinae (§. V.) in medium allatae, *vsumfructum* nempe *de essentia dominii non esse, sed hanc sola potius proprietate absolui*, stabilitur, argumenta.

§. VII.

Nihil iam impedit, quo minus, *nudam proprietatem*, (*totam intelligo*), *plenum esse dominium*, enunciem, ita rationes subducens: Proprietas dominium est (§. III.), atque sola essentiam seu substantiam dominii conficit (§. V.). Ergo posita proprietate, etsi sola, iam ponitur tota dominii substantia seu essentia. Ergo et plenum poni dominium necesse est: quidni enim *plenum* illud dicamus, cui nihil deest, quod ad conceptum eius formalem seu essentialiem atque ad substantiam constituantem necessarium merito reputari potest? Deest, *occlamas, vsumfructus*. Rechte tu quidem, ast quid tum? Iam dixi, *vsumfructum* conceptum dominii essentialiem non ingredi, sed etiam abesse posse, quin tamen dominium praedicari definit, aut de eius aliquid substantia decedat. Iam vero an et eius absentia nocere plenitudini dominii potest, cuius praesentia ad constituantem dominii plenitudinem plane non requiritur? vix credo, et ne vix quidem.

§. VIII.

Verum in promtu et leges sunt, si quas forte desideres, idem, quod ego, statuentes. NERA TIVS certe in L. 13 pr. ff. de A R. D. proprietatem atque *plenum dominium* promiscue vocat. Eius verba haec sunt: *si procurator rem mibi emerit ex mandato meo, eique sit tradita meo nomine: dominium, (aures arrige), id est, proprie-*

prietas mibi acquiritur etiam ignorantis. Hoc loco *dominium*, id est *proprietas*, ait ICtus. Igitur synonyma ipsi sunt dominium et proprietas. Sed ubi, inquit, NERATIVS plenum dominium dicit synonymum cum proprietate esse? respondeo, de pleno dominio NERATIVM sentire, substrata docet materia, *emtionis* nempe contractus. Sed audiamus et PAVLVM in L. 25. ff. de V. S. in hanc rem ita differentem: *recte dicimus*, eum fundum totum nostrum esse, etiam cum *vſusfructus* alienus est: *quia vſusfructus non dominii pars, sed seruitus sit, ut via et iter.* Ergo *vſusfructus* ex sententia PAVLI pars dominii non est, sed seruitus, et quid inde? hoc nempe, quod ex ea ratione, *quia vſusfructus pars dominii non est*, fundus totus noster, h. e., in *pleno nostro dominio* sit, etiam cum *vſusfructus* alienus est. Profecto rectissime se habet PAVLI ratiocinium: si enim *vſusfructus pars dominii non est*; sequitur omnino, fundi dominium plenum seu *integrum* posse penes nos esse, etiam si absit *vſusfructus*. Sane si dominium, *vſusfructu* subtracto, non amplius esset plenum seu *integrum*; *vſusfructus* non posset non *par*s esse dominii, id quod tamen doctrinae ICtri valde contrarium foret. Quid igitur iam? persistendum adhuc in ea sententia, *vſumfructum nec de essentia dominii esse, nec partem dominii, sed hoc sola potius proprietate ita constitui, ut proprietas utat nuda plenum tamen sit dominium.* Caeterum PAVLVS, integra ut sistam eius verba, consequentiae sui ratiocinii illustrandae causa haec addit: *nec falso dici, totum meum, (i.e., in meo pleno dominio) esse, cuius non potest villa pars dici alterius esse, h.e., de cuius dominio nemo aliis participat.* Bellissime iterum. Si mihi proprietas, tibi

B

vſus-

vſusfructus competit; tu partem dominii non habes:
vſusfructus enim non dominii pars, sed seruitus est. Ergo
totum dominium meum est, etiamſi vſusfructus tuus sit:
quidni enim, ait ICtus, totum meum dicatur, cuius non
potest villa pars dici alterius esse? Nec est, cur te tur-
bet, quod in laudato textu verba: *fundus totus noster est*,
sic reddenda: *fundū totum dominium nostrum est*, hinc
que totum non ad fundum, sed ad dominium referen-
dum esse, censui: hunc enim sensum ut amplecterer,
non nulla nec etiam vna me ratio mouit. PAVLVS sui
asserti, nempe fundum totum nostrum esse, etiam cum
vſusfructus alienus est, hanc reddit rationem: *quia vſus-
fructus pars dominii non est*. In his verbis ICtus et *to-
tius et partis* facit mentionem, et quidem *partis* non fundi,
sed *domini*. Valde igitur est credibile, eum et *toti-
us* mentionem in eadem relatione, ad dominium scilicet,
exaudiri voluisse, atque eam ob causam, praemeditato-
forsan consilio, non dixisse, totum fundum, sed potius
fundum totum nostrum esse, ne scilicet contingere facile
posset, ut interpres *totus* vocem ad *fundum* retrotrahe-
ret, sed ut potius ad *nostrum*, cui notio dominii respon-
det, eam referret. Accedit, PAVLI ratiocinium, stante
hac interpretatione, multo magis naturale esse, quam
quidem foret, si verbis crude inhaerens, atque *totum*
de fundo intelligens, hoc conficeret: *vſusfructus non est
domini pars*. Ergo totus fundus noster est, etiam cum
vſusfructus alienus est. Verum, quidquid tandem de
hac interpretatione sit, firmandae thesi meae hoc vnum
sufficit, clarissimis PAVLVM verbis dicere, *vſumfru-
ctum dominii partem non esse*: ex hoc enim, etiamſi me-
am legis lectionem non admittas, tamen non minus
cer-

certum efficitur, quam est id, quod certissimum, proprietatem nempe *totum*, h. e., *plenum* atque nulla sui parte destitutum dominium esse, atque vere praedicari, tametsi nuda sit, seu ab *vſufructu* separata.

§. IX.

Tandem aliquando interpellat, qui adhuc aegre se se continuit, aduersarius, haec doctrinae meae argumenta opponens.

1) PAVLVS a me non paulo ante laudatus in *L. 4. ff. de vſufr.* haec habet: *vſuſructus in multis caſibus PARS DOMINII eſt.* Falsa ergo esse oportet, quae (*§. V. seqq.*) disputauit. Caeterum DD. plerique hunc textum de *vſuſructu caſuali* accipiunt, quasi hic semper pars dominii eſſet, nunquam vero formalis, vt pote qui per ipsam a proprietate separationem desineret esse aliquid dominii, et seruitus indueret naturam. VOETIVS ad tit. de *vſufr. n. 3.* DONELLVS enucleat. apud HILLIG. Lib. 9. cap. 9. lit. C. et Lib. 10. cap. 2. lit. E. alii que paſſim.

2. VLPIANVS a PAVLO non abludens in *L. 8. pr. ff. de reb. auſt. iud. poſſid.*, in venditionem bonorum etiam *vſumſructum* venire, ex ea ratione ait, *quia appellatione DOMINI fructuarius quoque continentur.* Ergo iterum corruant a me (*§. V.*) in medium prola ta.

3. Fundo simpliciter legato vel in stipulationem deducto *vſuſructus* simul debetur, quamuis huius in verbis legati vel stipulationis nulla sit mentio facta, adeo, *vt fundus dari non intelligatur, si vſuſructus detrahatur L. 58. ff. de V.O. L. 66. §. 6. ff. de legat. 2.* Atqui argumento hoc est manifesto, *vſumſructum* dominio fungi sim-

di simpliciter promisso vel legato ut partem toto contineri. Ergo fracta iterum cadit doctrina mea.

4. Proprietas in L. 78 pr. ff. de iur. dot. et L. 2. pr. quib. mod. ususfr. amitt. ea demum dicitur plena, cui iunctus est ususfructus, id quod etiam Imperator §. vlt. Inst. de ususfr. hisce verbis inculcat: ex quo ususfructus ad proprietatem reuersus est, nudae proprietatis dominus incipit PLENAM in re habere potestatem. Ergo aperte erravi, nudam proprietatem (§. VII) pro pleno venditans dominio, utpote quae ususfructus accessione demum tale efficitur, qui proinde pars essentialis dominii omnino dicendus est.

5. GAIUS in L. 70. §. 2. ff. de fideiuss. docet, fideiussorem in usumfructum recte accipi, debitore principali in fundum obligato. Atqui hoc docere non posset, si ususfructus non esset dominii pars, sed ius quoddam a dominio (fundi nomine subintelligendo) plane diuersum: tunc enim statuendum foret, fideiussorem in specie a GAIO proposita sese in aliam rem, et nihilo tamen secius valide ac efficaciter obligasse, id quod regulae L. 42 ff. eod. et menti GAI magnopere repugnaret. Ecce rursus debilitatam thesin meam. Quid iam ad haec?

§. X.

Specie quidem haec argumenta non carent, sed carent tamen robore. Accipe veram rei indolem. Dominum rei qui habet, eius res est propria. Ergo tibi eam potest habere, facultate gaudens quosuis alias excludendi. Res illa fructus patitur, vel certe alias praestat utilitates aliqua emolumenta. Ergo is, qui rei dominum habet, etiam ab his fructibus atque emolumen-
tis

tis alios potest excludere, eaque sibi percipere. Dominio itaque ius vendicandi inest, sed tamen ita inest, ut possit etiam non inesse (§. L), sine dominii interitu (§. III.), imo ipsa dominii essentiali seu substantiali plenitudine salua manente (§. VII. et VIII.). Consequitur ex hoc, ius vendicandi *essentiali* seu *substantiali* aliquod dominii non esse (§. VI.), adeoque nec partem dominii *essentiali* seu *substantiali* recte vocari: quia tamen *vitusfructus* dominio inest *ordinarie*, adeo, ut dominio simpliciter promisso vel legato continetur L. 58. ff. de V. O. L. 66. §. 6. de legat. 2., nisi exceptus fuerit, et dominium e. g. *detracto vitusfructu* legatum vel promissum l. 19. ff. de *usu* et *vitusfr. legat.*, ad *naturalia* dominii recte refertur, atque pars vel, ut SCHAUMBVRGIVS in comp. iur. Digest. tit. de A. R. D. §. 2. in fin. loquitur, *effectus* dominii *naturalis* non inconcinne appellatur. LUDOVICI in Colleg. iur. feud. c. l. th. 4. *vsumfructum* partem dominii non *essentiali*, sed *accidentalem* vocat, *vitus* nempe Philosophorum diale^cto, quibus *accidentale*, quatenus *essentiali* vel *ei*, *quod est de essentia*, opponitur, dicitur omne id, quod, cum alicui competit, non est de *essentia* vel de *essentia* et ratione formalis eius, STAL Reg. philos. P. II. disp. 16. reg. 1. §. 1. n. 2. Alias vero, si vium loquendi inter iuris peritos seruare velimus, *vitusfructus magis naturale*, quam *accidentale* dominii dicendus: quia nempe dominio *regulariter* inest. Ut vero maiorem haec omnia lucem consequantur, notandum, dominium bitariam accipi, a) quatenus habet *essentiali* seu *substantiali* sibi debitam, h. e., quatenus est *substantialiter* seu *essentialiter* plenum atque completum, abstrahendo ab iis, quae ei-

dem tantum *contingenter* insunt, vel conueniunt; b) quatenus praeter essentiam seu substantiam sibi debitam etiam *naturalia* complectitur dominio non quidem necessario, sed tamen ut plurimum et ordinarie inexistentia, h. e., quatenus et substantialiter et naturaliter, vel, si manus loqui cum Philosophis, quatenus et essentialiter et accidentaliter simul est plenum seu completum. Liceat breuitatis studio dominium in casu priore *totum esseentiale*, in posteriore autem *totum accidentale* appellare. Patet ex his, vsumfructum causalem, (formalis enim neutrō sensu dominii pars vocari potest), partem esse dominii ut totius *accidentalis*, neutiquam vero partem esse dominii ut totius *essentialis*, sed potius ius aliquod huic, per solam proprietatem sine *usufructu* accessione *essentialiter* iam completo, superaddirum, adeoque non tam partem, (verbis vtor ANT. FABRI Lib. 15. Coniect. 8. pag. m. 501.), quam *accessionem* dominii dici debere. Denique, si phrasium copia delectaris, dic, mea pace, proprietatem *formam* dominii *substantialē* seu *esseentiale* confidere, ius vten-disfruendi vero ad *accidentalem* esse referendum, vid.

HARTVNG in *Metaphys. iurid.* cap. 10. §. 4.

§. XI.

Quamuis haec, vt opinor, in se sati habeant perspicuitatis; nihil tamen, quod rei illustrandae aptum aut assensui elicendo idoneum esse autumo, vt silentio praeteream, hanc thesin, vsumfructum nempe esse aliquid dominio inexistentis, atque dominio simpli-citer promisso vel legato contineri, quin tamen ad substantiam dominii pertineat, aut huius plenitudini *essentiali* aliquid decedat, *usufructu* subtracto, simili quodam iuuat illustrare. Sic actui iter ineat L. 1. pr. ff. de S. P.

S. P. R. et quidem per se, h. e., ita, ut actui simpliciter promisso iter insit, licet huius in verbis promissionis nulla mentio facta L. 58 ff. de V. O. Hoc quamvis ita se habeat: nemo tamen sustinet dicere, iter de substantia seu essentia actus esse, et cur non? quia nimis iter et abesse ab actu potest, salua actus essentia L. 4. §. 1. ff. si servit. vind. Grauissime equidem obstat videtur L. 1. ff. de adim. vel transfer. legat., sed vide VOET. ad tit. de S. P. R. n. 2. Porro actus vtrumque complectitur, ius nempe et agendi iumenta vel armenta, et ducendi vehiculum vel plastrum L. 7. et 12. ff. de S. P. R., adeoque, actu simpliciter et sine latitudinis determinatione promisso, vel legato, vtrumque hoc ius etiam debetur, VOETIVS c. l. Verum an ideo ius ducendi vehiculum de essentia actus esse dici potest? neutquam nam et tunc, si nempe ea loci latitudo concessa, vt iumentum quidem deduci, non etiam vehiculum possit, ex sententia POMPONII actus videbitur acquisitus L. 13. ff. de Jerun., id quod VLPIANO procul dubio causa praebuit, actum in L. 1. ff. de S. P. R. per ius agendi vel iumentum vel vehiculum alternatiue definiendi. Si negas, actum subtracto itinere vel vehiculum ducendi iure esse essentialiter atque integraliter completum, utpote cui pars aliqua desit; bellum MODESTINO et POMPONIO grauissimum indicis L. 11. et 17. ff. de Servir., sed iniquam, nahi crede, Mineruam experturus. Notam tamen vel tyronibus, imo notissimam esse, ait, actus in plenum et minus plenum divisionem, atque hunc nominari, quoties eo vel iter non continetur, vel solum ius vehendi, vel ius agendi pecora solum comprehenditur, BOEHMER Introd. in Ius Dig. tit. de S. P. R. §. 2.

Mani-

Manifestum ex hoc fieri, instas porro, desumtam ab
actu similitudinem doctrinae meae quam maxime aduer-
fari: sicut enim per itineris vel iuris vehiculum ducen-
di detractionem ex *actu* pleno fit minus plenus, ita et-
iam per *usufructus* detractionem ex dominio pleno
fieri minus plenum, necesse esse. Satis argute,
fateor, tu quidem haec, sed cape responsonem. Iter
et vehiculum ducendi ius *actui regulariter* insunt, sed
tamen et abesse possunt, salua actus substantia, eodem
prorsus modo, quo et in *usufructu* hoc obtainere, (§. praec-
ed.) vidimus. Ergo in *naturalibus* quidem, minime
vero in *substantialibus* actus recensenda veniunt. Actus
igitur, siue iter et vehendi ius adsint, siue non, substan-
tialiter plenus manet, non tamen plenus manet natura-
liter: iter quippe et vehendi ius ad *naturam* actus com-
plendam necessaria quidem sunt, sed non aequae sunt ne-
cessaria ad *substantiam* seu *essentialiam* actus complendam.
Eo igitur animo antea laudatam actus in plenum et
minus plenum diuisionem in medium si adfers, adactum
tanquam totum *essentiale* ut eam transferas; proban-
dam illam esse, nego, et pernego. Quodsi vero de
actu ut *toto accidentalis*, h. e., quatenus et *substantialia*
seu *essentialia* et *naturalia* seu, ut Philosophi placet, *ac-
cidentalia* simul complectitur, sermo tibi est; non paulo
facilius a me impetrabis, ut dictam actus diuisionem
procedere largiar: vix enim et ne vix quidem negare
ausim, actum, cui iter et vehiculum ducendi ius inex-
stunt, pleniorem esse eo, in quo haec desiderantur.
Verum tunc de *accidentalibus* solum plenitudine actus haec
acciencia, non de *essentiali*, utpote quae, sicut non
minuitur itineris vel vehendi iuris detractione, ita eo-
run-

rundem accessione nec augetur. Applica iam, quae de actu atque eidem regulariter inexistentे itinere vel vehiculum ducendi iure hactenus dixi, ad dominium et eidem regulariter inexistentem vsumfructum.

§. XII.

His praemonitis, difficilis amplius esse non potest ad argumenta aduersariorum, (§. IX.) obvia, responsio. Eia! faciamus periculum.

Ad 1) respondeo, vsumfructum secundum L. 4. *If de vſuſr. in multis casib⁹ partem dominii eſſe, natu‐ ralem scilicet, seu, vt alii loquuntur, accidentalem, neutriuam vero substantialem seu essentialē (§. X.). Si essentialē vſusfructus dominii partem faceret; nae tum pars dominii non eſſet in multis casib⁹, sed potius fo‐ ret in omnibus: cum nihil eorum, quae essentialiam entis conſtituunt, ab ente vñquam abeſſe poſſit, adeo, vt, eo‐ rum vno ſublato, illud ens ipsum tollatur, REV SCH in Syſt. metaph. §. 32.* Certe PAVLVS in d. L. 4. ipſe fatis clare innuit, vsumfructum partem dominii essen‐ tialē non eſſe, cum in verbis mox ſubsequentib⁹ fa‐ teatur, eundem vel praeſentem vel ex die dari, adeo‐ que a dominio separari poſſe. Cur proprietas, dic‐ quaeſo, separari a dominio non potest? cur pars domini‐ ii, vt cum PAVL O loquar, non eſt in multis caſi‐ bus, ſed in omnibus? ideo, dices, quia proprietas de eſſentia dominii eſt. Reete. Sed cur non idem ob‐ tinet in vſuſrctu? ideo vtique, quia vſusfructus de eſ‐ ſentia dominii non eſt. Deinde, ſi de parte eſſentiali dominii PAVLVM intelligunt aduersarii; admittere de‐ bent, etiam formalem ſeu a proprietate ſeparatum vſum‐ fructum rationem dominii, ſaltem minus pleni, eodem

C

modo

modo retinere, quo eam retinet vna proprietatis portio ab altera diuisa, quae, non obstante hac diuisione, dominium manet saltē *minus plenum*, id quod exemplo dominii *directi* manifestum fit: *vſitatum* nempe est, quoduis dominii essentiale *domini minus pleni* nomine exornari, vt hoc ipsum in proprietate, imo et in proprietatis parte nemo non perspicit. Si itaque *vſusfructus* causalis essentiale aliquod dominii, vt statuant aduersarii, adeoque dominium quoddam *minus plenum* esset; sequeretur, et formalem *vſumfructum* tale esse: nec enim *vſusfructus* per solam a proprietate separationem intrinsecus et substancialiter mutatur, aliam duntaxat ad proprietatem nactus relationem. Certe vna proprietatis portio a reliqua proprietate seu a dominio separata tale dominium *minus plenum* manet; cur ergo non etiam *vſusfructus* a proprietate separatus? Ego sane, si *vſumfructum* causalem de essentia dominii esse cum aduersariis admitto, nullam deprehendo rationem disparitatis. Iam vero falsissimum est, *vſumfructum* formalem et a proprietate sciunctum rationem *domini* (sive pleni, sive *minus pleni*) habere (§. V.), imo, falsum esse, ipsi dant aduersarii (§. IX. n. 1.), et clarissimis verbis PAVLVS noster in L. 25. ff. de V. S. definit. Ergo et id falsum esse oportet, vnde hoc sequitur, nimirum *vſumfructum* causalem et cum proprietate coniunctionem partem dominii essentiale esse. Et quis, quæso! sibi persuadebit, *vſumfructum*, qui a proprietate separatus de substancia ac essentia dominii in se plane habet nihil, sed mera seruitus est, per solam cum proprietate coniunctionem tantam quasi transubstantiationem, (sit venia verbo), pati, vt iam eiusdem cum

cum dominio essentiae atque substantiae esse incipiatur, a quotamen essentialiter diuersissimus extitit ante? Fieri an potest, dic sodes, ut lignum efficiatur ferrum facta ligni cum ferro coniunctione? absit, ita te ineptire. Sed quinam demum sunt illi casus, forsan scisctaris, in quibus ex mente PAVLI ususfructus dominii pars est? sic habe. Quoties de dominio ut toto accidentaliter agitur, toties ususfructus dominii pars est, naturalis nempe seu accidentalis: quoties vero de dominio ut toto essentialiter agitur, toties ususfructus dominii pars non est (§. X.). Quoniam itaque in iis casibus, quibus de fundo vel potius dominio fundi aliusue rei *simpliciter* promisso, legato, vel alio modo acquirendo agitur, semper dominium intelligendum est, non solum, quatenus essentiam habet sibi debitam, sed et, quatenus naturalia dominii simul comprehendit, quorsum praesertim ususfructus pertinet, vel, uno verbo ut omnia complectar, quatenus totum est et essentialiter et naturaliter seu accidentaliter simul completum: consequens est, ut ususfructus toties pars sit dominii, quoties de dominio *simpliciter* promisso, legato, vel alio modo acquirendo agitur. L. 58. ff. de V. O. L. 66. §. 6. de legat. 2., conf. etiam, quae dixi (§. I.). Quodsi vero de dominio, *detracto ususfructu* promisso, vel alio modo transferendo est sermo; usumfructum partem dominii non esse, ne accidentalem quidem, nedum essentialem, per se patet. Sed valeat PAVLVS, nunc ad VLPIANVM.

§. XIII.

Ad 2) iterum facilis est responsio. Nempe L. 8. pr. ff. de reb. auct. iud. pess. desumpta est ex VLPIANI ad Edict. libro 61, ipsum vero Praetoris edictum, cuius

C 2

ver-

verba explicanda sibi in d. L. sumvit VLPIANVS, in titulo ff. mox praecedente, nempe tit. quib. ex caus. in possess. eat. ibique in L. 7. §. 1. his conceptum verbis confpicitur: qui fraudationis causa latitauit, si boni viri arbitratu non defendetur, eius bona possideri vendique iubebos. Quaeri iam poterat, quid, casu existente, si nempe bona debitoris fraudationis causa latitantis vendantur, in venditionem bonorum veniat? et an etiam vsusfructus debitori in fundo alieno forte competens? et respondet VLPIANVS in textru nostro, vsumfructum in venditionem bonorum omnino venire, addita hac ratione: *quid appellatio domini fructuarium quoque continetur.* Profecto non male rationes subducit ICtus: nam in bonis etiam vsusfructus est, adeoque et sub dominio bonorum quoque dominium vsusfructus continetur. Bonis ergo venditis, et sic quoque dominio bonorum per venditionem in alios translato, etiam vsusfructus, quippe qui pars bonorum est, venditus sit, adeoque et huius dominium per venditionem in alios translatum, necesse est. Liquet ex hoc, verissimum esse, quod dixit VLPIANVS, *appellatio domini* (bonorum scilicet, vt pote de quorum venditione ibi est sermo), *quoque fructuarium* (nempe tanquam dominum vsusfructus, qui bonorum partem facit) *contineri.* Sensus igitur verborum: *appellatio domini fructuarium quoque continetur.* vere est hic, fructuarium videlicet quoque dominum esse, non quidem ipsis rei, cuius habet vsumfructum, quippe quae respectu vsusfructuarii semper est aliena (§ V.), sed tamen ipsis vsusfructus. Verum, an ex eo, quod fructuarium dominus dicatur vsusfructus, recte concluditur, ipsum vsumfructum dominium quoddam esse, vel saltem dominii partem? nihil profecto hoc con-

concludendi genere excogitari posset absurdius: aliud
nempe est dominium, et aliud id, quod est in dominio.
Caeterum noli me reprehendere, quod *dominii vesusfructus*
mentionem fecerim: loquor enim cum IVLIANO
in L. 3. ff. si *vesusfr. pet.*

§. XIV.

Ad 3) Iubens concedo, fundo simpliciter legato
vel in stipulationem deducto, etiam *vsumfructum* deberi,
quamvis huius in verbis legati vel stipulationis nulla
mentio facta, adeoque *vsumfructum* dominio ita legato
vel promissō ut partem toto contineri, sed quid rum?
certe meam thesin haec omnia non ferunt. Contine-
tur nempe *vesusfructus* dominio ut pars toto, scilicet ut
pars naturalis seu accidentalis toto accidentalī (§. X. et
XII. ad fin.) Sane hoc solum, et nihil amplius, sequitur
ex argumento a te proposito. Si fundus simpliciter in
stipulationem est deductus; praeter proprietatem etiam
vsumfructus in eā deductus atque promissus esse vrique
censendus est (§ 1), id quod ob paritatem rationis etiam
de fundo simpliciter legato dicendum. Reēcte itaque in
L. 58. de V. O. et L. 66. § 6. de legat. 2. negatur, fundum
promissū dari aut legatum *praefarsi*, si non simul et
vsumfructus praestetur: fundus enim non datur, ut est
promissus vel legatus, sed datur minus: siquidem, *fundi*
nomine simpliciter posito, dominium intelligitur non
solum essentialiter, sed et naturaliter plenum, i. e., nulla
sui parte sine essentiali sine naturali, quo nomine et
vsumfructum comprehendo, deminutum. Sed haec
omnia quid ad me? Ex his certe nunquam erues, *vsum-
fructum* partem dominii essentialē esse.

C 3

§. XV.

§. XV.

Ad 4) eadem fere distinctio facit, qua (§. praeced.)
vſiſ ſum, nempe verum eſt, quod LL. dicunt, eam
demum proprietatem *plenum* facere dominium, cui iun-
ctus ſit vſiſfructus, ſi nempe de dominio vt toto acci-
dentali et in ea comprehensione ſumto, qua praeter
ſubſtantialia etiam naturalia dominii complectitur, hoc
intelligas; falſum vero, ſi dominium vt totum eſſentialiſe
forte velis ſubaudire. Iam ſaepē monui, aliam eſte ple-
nitudinem dominii eſſentialiem, aliam accidentalē.
Ad hanc coſtituendam vſiſfructus recte diſideratur,
non vero ad illam (§. X.). Deinde et hoc velim obſer-
ues, in L. 78. de iur. dot. et L. 2. quib. mod. *vſiſfr. amitt.*
non dici, per accessionem vſiſfructus *ominium fieri plen-*
um, ſed potius *proprietatem fieri plenam*. Hoc poſi-
to, ſi stringeret tuum argumentum, ego contra te eo-
dem modo, quo tu contra me, poſtem argumentari, ſie
nempe. Proprietas, a qua ſeparatus eſt vſiſfructus,
eſt proprietas tantum minus plena, vt pote quaē demum
plena fit per vſiſfructus accessionem (per LL. citt.). Ergo vſiſfructus pars eſſentialiſe proprietatis dicendus
eſt. An admittis hanc conſequentiā? non credo;
vſumfructum enim partem *proprietatis* coſtitutiuam
eſſe, nemini, quantum ego quidem ſcio, statuere un-
quam in mentem venit, ne iis quidem, qui partem *do-*
miii coſtitutiuam eum faciunt. DD. ad vnum omnes
vſumfructum a proprietate quidem ſolicite fecernant,
quamuis non aequē fecernant a dominio. Vitas ma-
nus tunc demum tibi dabo, ſi legem in medium adferas
vel vnicam, vſumfructum ad partes dominii *eſſentialiſe* re-
ferentem, aut dominium *eſſentialiter* plenum eſte negan-
tem,

tem, nisi vsumfructum habeat coniunctum, et quando
talem adferes? caue tibi, ut ad graecas demum calendas.

§. XVI.

Ad 5) denique respondeo, ANT. FABRVM Lib.
35. conjectur: 8. non improbabilibus motum rationibus
credidisse, L. 70. §. 2. de fideiuss. a Triboniano esse adul-
teratam, nec GAIUS, qui legis auctor est, hanc vnquam
exitisse decisionem, fideiussionem ibi prepositam valere,
sed verius hanc, eam scilicet non valere, quo pacto mihi
non amplius GAIUS, sed potius TRIBONIANVS foret
contrarius, imo ne hic quidem: non enim in eo suae
decisionis rationem ponit, *quod vsumfructus pars dominii*
fit, sed in eo potius, *quod fundi ius sit*, atque in naturali
praeterea *aequitate*. Audiamus ipsa legis verba: *sed*
cum vsumfructus fundi ius ess, *in cuiusle ess*, *fideiussionem ex*
sua promissione non teneri. Si dicas, *fundi nomine domini*
num esse subaudiendum, vt sensus sit, vsumfructum ius
fundi, h.e., *partem dominii esse*; nihil amplius impetrabis,
quam hoc, vsumfructum partem esse dominii in
sua comprehensione latam essentialium, quam natura-
lium sumti, quale, fundo *simpliciter*, vt GAIUS facit, po-
sto, semper tub intelligendum, neutriquam vero hoc
impetrabis, vsumfructum partem esse dominii in compre-
hensione sua essentiali sumti. Illud vero, utpote thesin
meam intactam relinquens, concedere facile possum.
Et nunc stabilita satis est, satis ab objectionibus vindicata
doctrina (§. V. et VII.) in medium prælata. Nihil ergo
iam reliquum, quam ad alterum dissertationis membrum
vt me conferam. Sit itaque

CAP.



CAPVT II.

DE

PROPRIETATIS DOMINO
SERVITV FEM IMPONENTE.

CONTENTA.

§. I. Quæstio proponitur, an et quatenus proprietatis dominus prædio fructuario seruitutem imponere possit? §. II. Regula generalis suppeditatur, determinans casus, in quibus proprietarius solus et sine usufructuarii consensu hoc potest, quam §. III. alia excipit, determinans casus, in quibus seruitus a proprietario aliter imponi non potest, quam consentiente fructuario, quæ praesertim ex L. i. C. comm. de manumiss. et §. IV. ex L. 8. ff. de aq. et aq. pluv. arc. probatur. §. V. L. 15. in fin. ff. de usufr. regulis antea positis grauissime obstans, reciratur, de qua §. VI. diuersæ DD. sententiae tanguntur. Horum alii §. VII. sensum d. L. 15. affirmatiuum, alii vero negatiuum esse contendunt. Inter illos primas HVBERVS tenet, qui refutatur. Horum vero rursus alii §. VIII. sensum d. L. 15. hypotheticum, alii contra absolutum esse aiunt. Ex illis sunt TITIVS, IO. SVPERIOR et ANT. FABER, quorum opinio §. IX. reicitur. Ex his vero §. X. VOETIVS et L. B. DE COCCEII nominantur, sed et horum lententia §. XI. improbat. §. XII. XIII. et XIV. CORNELII VAN BYNKERSHOEK emendatio d. L. 15. simul narratur, atque reprehenditur. §. XV. BRVNNEMANVS et LVDOVICI norantur. Tandem, ostensa §. XVI. emendationis necessitate, specimen aliquod emendationis in medium adseritur, quod §. XVII. fusiſ deducitur, simulque §. XVIII. et XIX., d. legem 15. sic emendatam cum L. 16. et 17. optime cohaerere, ostenditur, ex quibus denique §. XX., maximam esse huius coniecturae probabilitatem, concluditur.

§. I.

§. I.

 stensum hactenus, vsumfructum a proprietate separationem recipere, ostensum porro, proprietatem, facta eiusmodi separatione, nihilominus dominium et quidem plenum manere, nunc vero in quaestione incidimus, quae non minus anceps est atque difficilis, quam erat illa, quae capite primo agitata. Eo autem haec redit, an in casu, quo alius proprietatis, aliis vsumfructus est dominus, ille praedio, cuius alius vsumfructum habet, seruitutem e. g. viae, pascendi, altius non tollendi caeterasque imponere queat? et si hoc; an solus queat, an vero vsumfructuarii consensu opus sit? Et hic non in unam DD. sententiam eunt. Ego, breuitati ut studeam, statim, quid mihi videatur, per duas generales regulas edifferam.

§. II.

Quoties seruitus praedio fructuario imponenda talis est, quae facultatem utendisfruendi nullatenus deteriorem faciat, toties proprietatis dominus eam imponere potest, etiam non consentiente usufructuario. Hanc regulam principiis iuris naturalis apprime esse consentaneam, dudum demonstratum dedit L. B. DE WOLF P. 5. §. 1455. *Iur. natur.* Verum non his solum, sed et legibus ciuilibus conuenit. Certe PAVLVS quaestione, an proprietatis dominus fundo fructuario seruitutem imponere possit? in casu talis seruitutis, *qua deterior fructuarii conditio non fiat*, in L. 16. ff. de usufr. affirmare nullus dubitat, neque etiam, si dubitare voluisse, idoneam inuenisset dubitandi rationem. Enimvero proprietarius dominium rei, etiam postquam vsumfructus in alium

D

tran-

transfuit, adhuc habet (cap. I. §. 3.), et quidem, quod maximum, habet plenum (§. 7. ibid.). Eum vero, qui pleno dominio praedii superbit, huic seruitutem impo-nere quid, quaeso! impedit? aut quis tandem, si hic non potest, alius poterit? Leges profecto nemini, nisi domino, hanc faciunt seruitutes imponendi potestatem L. 8. ff comm. praed. Sed tunc demum, interpellas, domi-no hanc leges potestatem faciunt, si praedii, cui serui-tus imponenda, simul liberam habeat administrationem, hanc vero ei utique esse ademtam, usufructu alii consti-tuto. At ego, ademtam esse, nego, quatenus nimirum usufructuarum conditio deterior non redditur: in hunc enim praeter utendisfruendi facultatem nihil est transla-tum. Omne igitur reliquum de fundo disponendi ius, quatenus nempe usum iuris utendisfruendi non tangit, sed, hoc utique salvo manente, exerceri potest, apud dominum proprietatis remanserit, necesse est. Quodsi vero remansit; etiam in actum illud deduci libere potest, utpote omni impedimento cessante, quo minus non possit: praeter dominum enim et fructuarium nemini in praedio ius est. Ergo etiam nemo dominum in usu iuris libere de praedio suo disponendi impedire potest, praeterquam fructarius, sed et hie illum im-pedire ex nullo alio fundamento potest, quam propter ius suum cum iure domini in praedio concurrens, quip-pe quod fieri deterius posset, liberrima domino de praedio disponendi facultate concessa. Ius igitur fructuarii concurrens, quatenus nimirum per liberum dominii usum laedi, atque mutari in deterius potest, vel, ut uno verbo omnia dicam, praeiudicium, usufructuario metuendum, est id, quod libero dominii exercitio limites ponit.

ponit. Quatenus ergo ex usu dominii praecidicium fructuario metuendum non est, eatenus etiam cessare hos limites, liberamque proprietario de praedio, utpote re sua, ex animi sui sententia disponendi facultatem esse, oportet. Si autem hoc; consequens est, ut etiam seruitutem libere praedio imponere possit, talem nempe, qua deterior fieri fructuarii conditio nullo modo queat. Verum consequitur et hoc, proprietarium etiam non requisito fructuarii consensu hoc posse: si enim huius conditio per seruitutis impositionem nullum detrimentum patitur, si talis relinquitur utendifruendi facultas, qualis ipsi ab initio concessa; qua de causa, eius consensum requirendum atque necessarium esse, statuamus, plane non video: enim uero sic nullam fructuarius ex imposita seruitute iniuriam accipit, nullam querendi occasionem, dissentendi fundamentum nullum: sine ratione autem dissentire velle, aliosque ab usu iuris sui impedire, hoc profecto maxima foret iniquitatis, hoc summum nefas. Absit ergo, proprietatis domino facultatem praedio fructuario seruitutem, eriam sine usufructuarii consensu, imponendi denegare, quoties hac usufructus conditio nihil deterioratur. Fieri autem posse, nihil hanc deteriorari, ut perspicias, exemplo rem illustrabo. Tibi usufructus, mihi proprietas aedium legata. Contingit, ut ego altius non tollendi seruitutem in hisce aedibus Seio constitua, et num credis, detriorem hoc facto redditam esse usufructus aedium tibi competentis conditionem? non puto. Nihil hac seruitute commoda habitationi decedit, aliis aedium utilitatibus nihil, quas tibi ante, quam ea imposta, percipere licuit. Decedit, inquis, altius tollendi facultas.

D 2

Recte:

Recte, verum an haec decedit tibi? minime. Cogitate merum esse vsufructuarium, vsufructario autem aedes, quarum vsumfructum habet, tollendi altius ius nullum competere L. 13. §. 7. ff. de vusufr. Qui autem fieri potest, decedere tibi per seruitutis impositionem, quod etiam ante hanc non habuisti? Non dissimili fere res habet modo et in caeteris seruitutibus negatiuis, quibus iura vsusfructus non restringuntur, nec villa alia ratione deteriorantur.

§. III.

Quoties seruitus praedio fructuario imponenda talis est, quae facultatem utendifruendi deteriorem faciat, toties proprietatis dominus eam quidem, non tameu aliuem, quam consentiente vusufructuario, imponere potest. Etiam hanc regulam ex principiis iuris naturalis demonstratam legimus apud L. B. DE WOLF l. c., a quibus neque hoc loco secessionem leges ciuiles faciunt. IVSTINIANVS in L. I. C commun. de manumiss. sanxit, seruum, cui proprietarius cum consensu vusufructuarii libertatem imponit, pleno iure liberum effici, eum vero, cui proprietarius solus libertatem imponit, vusufructuario minime consentiente, huius intuitu seruum manere, donec vusufructus extinctus fuerit, vid. etiam L. 2. ff. de manumiss. vind. Egregie Iustiniane haec sanctio in rem meam: inde enim, nisi vehementer fallor, ope abstractionis regulae adinstar hoc recte colligitur, proprietatis dominum, quoties vusufructuarii ius ita concurrit, vt huic detrimentum immineat, iure suo, sine fructuarii consensu, in detrimentum vusufructus vti nunquam posse, at vero, huius consensu accidente, eum etiam in detrimentum vusufructus ius suum recte exercere. Ipsissimum

mam profecto audire mihi videor aequitatem, quae nunquam patitur, alii per alium iniquam inferri conditionem, aut ius quae situm adimi iniuto: quia nempe laesio et manifesta foret iniuria. Sed quid? si consentiat is, cui iniqua conditio inferenda, si iure suo, quod utique potest, libere sese abdicet, atque fieri aliquid in suum detrimentum lubens patiatur; an et tunc queri de iniuria sibi illata potest? nequaquam: *volenti enim iniuriam non fieri*, compertum habemus. Transfer haec ad casum, quo proprietarius seruitutem intendit praedio imponere vsufructuario damnosam, e. g. seruitutem pa scendi, qua, tertio cuidam concessa, fructuario utique non parum utilitatis ex vsufructu est decessurum. Hanc ergo proprietatis dominus in detrimentum vsufructus, iniuto vsufructuario, imponere non potest: ius enim alterius vulnerare iniuti, eique hoc modo iniuriam facere, nefas, omnique iure veritum *L. 15. §. 6. ff. de vsufr.* Alt iniuria statim esse definit, vbi vsufructarius consentit in iniuriam, suo iuri sponte renuncians: *ideo enim*, inquit PAVLVS in *L. 9. §. 1. ff. de aq. et aq. pluu.arc.*, *voluntas exigitur* (hoc loco vsufructuarii), *ne ignorans iniuriam accipiat: nullam enim potest videri iniuriam accipere, qui semel voluit.* Iuris igitur aequa, ac aequitatis principiis consentaneum est, statuere, proprietatis domino cum consensu fructuarii etiam talem seruitutem imponendi ius esse, qua deterior fit vsufructus conditio. Sane, si proprietarius seruum recte manumittit, vsufructuario consentiente; multo magis seruitutem fundo poterit imponere, fructuarii consensu accedente: maius enim in illo casu huius exitit praeiudicium, quam in hoc: siquidem ibi vsufructus plane extinguitur, non

D 3

autem

autem hic. Accedit, quod praeter proprietarium atque vſufructuarium alii nemini ius in fundo fructuario competit. Hoc ergo vtroque consentiente, nulla amplius excogitari ratio potest, quae impedire validam seruitutis constitutionem queat: tertio enim cuius perpe-
tua obſtat exceptio, *tua non intereſt*.

§. IV.

Aliud idque non minus forte praesidium regulae (§. III.) inclusae ex L. 8. ff. de aq. et aq. pluu. arc. accedit. Accipe casum ibi propolitum. Quibusdam in loco, in quo aqua oritur, seruitus aquae debetur. Dominus loci in eo est, vt et mihi ius aquae ducendae ibidem conce-
dat: quaeritur iam, an dominus hoc possit, etiam non exquisita eorum voluntate, quibus iam ante me talis seruitus debebatur? Respondet VLPIANVS in L. cit., eorum voluntatem non immerito esse exquirendam, ita ratiocinatus: *cum enim minuitur ius eorum, conſequens fuit, exquiri, an conſentiant*. Iterum bellissime haec pro me. Apparet ex hac lege, dominum praedio suo, tametsi iam seruienti, tamen adhuc seruitutem impo-
nendi iure gaudere, non aliter tamen, quam eo, cui iam seruit, consentiente, quoties nempe huius ius hac seruitutis impositione minuitur. Fiat applicatio ad fundum, cuius alii vſuſructus, alii proprietas data. Hic fundus iam seruit, vſuſructario nimirum. Proprieta-
rius, qui vtique fundi dominus est (cap. I. §. 3. et 7.), nouam eidem intendit seruitutem imponere, eamque talem, qua ius fructuarii minuitur (per hypoth.), et putasne, ad hoc opus ei esse vſuſructuarii conſensu? ex VLPIANI mente opus est omnino. Quoties enim, (ra-
tiocinor cum ICto mox laudato), nouae seruitutis impo-
ſitio-

sitione ius eorum minuitur, quibus fundus iam seruit, toties consequens est, exquiri, an consentiant (per L. 8. cii.). Atqui contingit impreäsentiarum, vt ius vſufructuarii, cui fundus iam seruit, nouae seruitutis impositione minuatur (per hypoth.). Consequens igitur est, exquiri, an consentiat. Sed an tunc, cum consentit vſufructuarius, proprietarius talem seruitutem fundo fructuario imponere potest? iterum respondeo, tunc ex VLPIANI mente eum hoc omnino posse: ad quid enim faceret, aut cui vſui esset illa voluntatis eorum, quibus fundus iam seruit, exquisitio, si, hac vtut imperata, dominus tamen non posset nouam imponere seruitutem? Dedi doctrinam VLPIANI, an habes, quod eidem opponas?

§. V.

Et omnino, ais, quod opponatur VLPIANO, et quidnam illud? nempe VLPIANVS ipſe. Mirabile, VLPIANVM opponi VLPIANO, sed opponitur tamen. Agedum, ipsa ICtri verba mihi recita. Extant, inquis, in L. 15. §. 7. in fin. ff. de vſuſr. et sunt haec: p' oprietas dominus ne quidem consentiente fructuario seruitutem imponere potest. Rhodus hic, hic salta.

§. VI.

Talem, fateor, hisce verbis scrupulum mihi inieciſti, vt, qua eum ratione eximam, nondum perspiciam. Adduci tane vix potui, vt credam, VLPIANI esse, quae praelegisti, verba, aut ita, vt praelegisti, se habere. Verum credere oportuit, postquam et ipſe legi, atque plus, quam sexcenties, relegi, etiam armato vſus oculo, neque tamen alium inueni habitum verborum. Proh dedecus! sic contractae cadunt, quas (§§. II. et III.)

ex-

extruxi, regulae, quid? imo non cadunt: nec enim desunt magni nominis DD., qui malo medelam allatum proprerant, atque difficillimi textus resolutione occupantur. Hos satius est ante audire, quam, non discussa causa, turpem canere palinodiam. Trium autem sunt generum. Alii, verba legis nihil absurdii aut a iuris principiis alieni in se continere, adeoque retinenda esse, nulla adhibita emendatione, et sibi persuasum habent, et aliis cupiunt persuadere. Alii, in alia omnia eentes, corruptam legem esse, eamque, autumant, quae et iuris et famae rationis principiis vim inferat, nisi artis criticae beneficio suae integrati restituatur, atque a virtute liberetur absurditatis. Alii denique, de utroque desperantes, eam penitus negligunt, quasi nulla dignam responsione, delituri e corpore iuris, si licaret.

§. VII.

In primo genere qui reperiuntur, DD. rursus in duas commode separantur classes. Alii, VLPIANI regulam in L. 15. cit. propositam affirmativam esse, aiunt, adeo, ut sensus sit, *proprietatis dominum seruitutem imponere posse, et si usfructarius non consentiat.* Alii vero, negativam esse, contendunt, atque in hunc sensum accipendam, *proprietatis dominum seruitutem imponere NON posse, et si usfructarius consentiat.* Et sane, si ipsa legis verba spectemus, sensum negativum omnino inferre videntur, utpote qui minus contortus et verbis multo conuenientior est, sensu illo priore affirmatio. In iis, qui primam classem faciunt, praesertim HVBERVUM inuenio, qui in *Praelect. Pand. tit. de Seruit §. 8.*, nulla in lege mutatione facta, verba: *dominus proprietatis seruitutem imponere potest*, propositionem, illa vero: *ne-*

qui-

quidem consentiente fructuario, ampliationem prioris propositionis esse, ait, quasi dicere voluerit VLPIANVS, proprietatis dominum non solum seruitutem imponere posse fructuario forte consentiente, sed et, quod plus esset, eum, *fructuario etiam non consentiente*, hoc posse, seu fructuarii consensu in seruitutis constitutione ne quidem opus habere, si modo, quod in seq. L. 16 additur, eius conditio hac seruitutis impositione non fiat deterior. Verum haec legis interpretatio ideo non probanda mihi videtur, quia, si admittas hunc sensum verborum, ea nec cum verbis VLPIANI antecedentibus, nec cum subsequentibus facile conciliabis: enim uero VLPIANVS eiusdem L. 15. eundem §. 7., cuius finem verba faciunt, quorum interpretem HVBERVS agit, sic inchoat: *sed nec seruitutem imponere fundo potest proprietarius, nec amittere seruitutem.* Iam sic: Si proprietarius imponere seruitutem fundo non potest ex doctrina VLPIANI; credibile sane non est, eundem VLPIANVM, verbis paucissimis interiectis, atque eodem fere momento loco que contrarium docuisse, proprietarium scilicet fundo posse seruitutem imponere, atque hanc propositionem praeterea ita ampliasse, ut hoc etiam tunc verum esset, *eis usfructuario non consentiat.* Verum et hoc vetat cum HVBERO facere, quod, stante interpretatione Huberiana, verba L. 17. ff. de usfr., quae itidem VLPIANI sunt, atque verba finalia L. 15. eod. proxime excipere debebant, cum his et haec cum illis pessime cohaereant, sensumque inferant plane ineptum, id quod utramque legem insipienti non potest non statim patere. Eo in citt. LL. ICti sententia redit, liberiorem in religione fundo imponenda proprietario

E

con-

concedendam esse potestatem, quam in imponenda seruitute, atque hac ipsa de causa proprietatis dominum, ut verba sunt L. 17. c. 11, locum religiosum facere posse, consentiente usufructuario, et hoc verum esse favore religionis. Da locum interpretationi Huberiana, et profecto nullus erit reliquus religionis prae seruitute favor, nulla liberior illam, quam hanc imponendi proprietarii potestas.

§. VIII.

Prodeant secundae classis asseciae, negotiata quia VLPIANI regulam dicunt. Hi rursus in duas sectas abeunt. Alii regulam illam negotiata non nisi hypothetice esse intelligendam putant, alii vero, illam absolute intelligendam, et absolute etiam veram esse, statuunt. Ex illorum numero praesertim GOTTLIEB GERH. TITIVS nominari meretur, qui in diff. de servitute facienda §. 12. hanc in rem ita scribit: nescio, an sententia VLPIANI eo tendat, non absolute impediri proprietariorum cum consensu usufructuaris servitutem imponere, sed ex hypothesi, si scilicet usufructuaris ius integrum illibatum que manere debeat. Iam vero, TITIVS subsumit, usufructuaris, quando de servitute constituenta agitur, ius suum integrum conseruare vult, adeoque, concludit, servitutis constitutio ob contradictionem non valet. Nimirum ex mente TITII si recte eam perspicio, contradictionem inuoluit, adeoque impossibile est, ut tertio cvidam in fundo e. g. seruitus pascendi constituantur, et nihil tamquam secundus ius usufructuaris integrum et illibatum maneat: cum igitur usufructuaris in servitutis constitutione velit, ius suum integrum atque illibatum manere, et tamen servitutis constitutioni consentiat; haec posterior

rior voluntas, utpote cum priore contradictionem in-
voluens, nullius efficaciae est, atque pro nulla habenda,
perinde, acsi usfructuarium seruitutis constitutioni pla-
ne non consensisset. Fere eandem cum TITIO canti-
lenam cantat IO. SUPERIOR ad L. 2 ff. de Seruit. n. 3.,
vbi decisionis, quod nempe proprietarius seruitutem
imponere non possit consentiente fructuario, hanc redi-
ditionem: *quia ea imposita seruitus interiret ususfruc-
tus, quod noluisse fructuarium coniucimus, quia non dixit.*
Porro ex hoc ipso, quod numerum fructuarium consentiens
domino seruitutem imponenti usumfructum amittere
nolit nec in toto, nec pro parte, ANT. FABER in
Rational. ad d. L. 35. in fin. ff. de ususfr. sic concludit:
*Ergo non ususfructus amittitur, sed impositio seruitutis
mititur.* Quodsi igitur ab illa hypothesi Titiana abstra-
hentes eius loco ponimus, usfructuarium seruitutis im-
positioni consentientem velle aliquid de iure suo remit-
tere; tunc ex mente TITII arque eorum, qui cum eo
faciunt, nihil amplius impedir, quo minus dominus
proprietatis seruitutem valide imponat, et sic ius fru-
ctuarii, ex huic ipius voluntate, minuat.

§. IX.

Verum et haec sententia mihi vel ideo non arri-
det, quia falso nititur supposito, usfructuarium scili-
cer, constitutioni seruitutis et quidem talis, qua non
potest non arrodi arque deminui ususfructus, consentien-
tem, de iure suo nihil amittere, sed istud integrum at-
que illibatum conseruare velle. Qui enim fieri potest,
vt is, qui assentitur domino imponenti seruitutem, cum
qua impossibile est usumfructum sibi competentem stare
illaesum, non velit aliquid de iure suo amittere? an

E 2

idem

idem potest idem simul velle, et simul nolle? Sed, ususfructuarium, responderet IO. SUPERIOR, de ususfructu aliquid amittere nolle, coniicimus inde, quia non dixit. Hem malam Philosophiam! quid, quaequo, opus est dicere id, per se quod subauditur. Ususfructarius consensit seruitutis impositioni. Ergo et ei consensisse censendus est, quod ex hac necessario consequitur, eriamus non dixerit: nonne enim et tacite quis renunciare suo iuri potest? Certe, si in venditione pignoris consentierit creditor, vel, ut debitor banc rem permittet, vel donet, vel in donum det, dicendum est, pignus liberari: nisi SALVACAVSA PIGNORIS SVI consensit vel venditioni vel caeteris L. 4 §. 1, ff. quib. mod. pign. solu. Ecce, creditor pignoris alienationi consentiens amittit pignus, et si hoc, se scilicet pignus amittere velle, non dixerit: quia nempe hoc dicere non fuit necesse. At longe fecus se res habet, si iuris sui iacturam facere creditor non vult: hoc enim dicere oportet, nimisrum se rei sibi obligatae alienationi quidem consentire, sed tamen *salua causa pignoris*, quod si non dixit; amissum est pignus: nec enim in mente retentum operari quidpiam potest, et contra eum omnino interpretatio facienda, qui non dixit, quod dicere tamen debebat. Quid veter, ad fructuarium haec applicare seruitutis constitutioni consentientem? Etiam si consentiendo saltem pro parte amittit usumfructum, quem si amittere noluisset, seruitutis impositioni non consentire debuisse. Sed quid, si dixerit, se quidem seruitutis constitutioni consentire, sed *salua atque integra causa ususfructus?* respondeo, neque hoc casu TITIO, sic *seruitutis constitutionem ob contradictionem non valere*, vel,

vel, ut ANT. FABER l.c. loquitur, non *usumfructum*
amittit, sed *impositionem seruitutis viviari*, quasi *usufructarius* seruitutis impositioni sub conditione impossibili
consenserit, adeoque perinde sit, acsi non *consensisset*
L. 31 ff. de O. et A.; tunc a casu ab *VLPIANO* in
nr. L. 15 proposito prorsus recedis, siquidem de seruitute
consentiente fructuario imponenda ibi sermonem
esse, ipsa verba docent. Accedit, probabile non esse,
curatissimum illum *VLPIANVM*, si de eiusmodi specie,
qua usufructarius quidem *consentit* seruitutis impositioni,
sed sub conditione: si fulvis atque integer ususfructus
mansurus sit, verba facere in animo habuisset, de
hac conditione monere, fuisse omnium, aut non po-
tius decisum, seruitutis constitutionem, insuperhabita
protestatione de usufructu, tanquam factio contraria,
valere.

§. X.

Nunc cum iis in ius mihi ambulandum, qui, regula
L. 15. m. fin. de usufr. non solum negatiue, sed et
absolutè accipiendam esse, volunt, adeo, ut proprietas
dominus seruitutem, qua scilicet *usufructuarii* condicio
deterior fieri queat, (talem enim ante oculos habere oportet propter *L. 16. eod.*), imponere *nunquam* possit, tametsi
fructarius consentiat. Omnia instar *VOETIVS ad*
ff. nr. de usufr. n. 20. sese mihi siflit, rationem d. *L. 15.*, ut
nimirum obiectioni obuiam irer, quassine ratione aliquid
*ab *VLPIANO* dictum esset*; hanc reddens, ne tage pro
prietario soli seruitutem imponendi facultatem, ob ius
usufructario in fundo seruituro constitutum atque ser-
vitate imposta minuendum, non esse, sed neque *usu-*

E 3

fructuarii consensu hanc ei facultatem posse conciliari, eoquod fructuarius ipse nulla seruitutis praedio fructuario imponendas facultate gaudeat, dum seruitutis impositionis alienationis species sit, fructuario denegata: ast vero notissimum esse, neminem consentire alienanti cum effectu posse, qui ipse alienandi potestate destitutus sit L. 165 ff. de R. I.: alias enim, si hoc posset, fore, ut alteri tribueret, quod ipse non habet. Eodem prorsus modo etiam L. B. DE COCCII in iur. civ. controu. Lib. 8. t. 1. quæst. 4 philosophatur, rationi mox laudatae hanc addens: *valeret enim seruitus (nempe cum consensu ususfructuarii constituta) ex consensu et dispositione fructuarii, et is eam reuera constituueret, quid est contra naturam seruitutis, quam inducere solus dominus potest.*

§. XL

Haec quamvis plena eruditio nis esse non eam inficias; ea tamen adhuc visa mihi nunquam sunt, quibus res confici, atque defendi VLPIANI assertum queat. Proprietatis dominus, vt pote qui simul praedii est dominus, cui seruitus imponenda, *vi dominii* utique seruitutem imponendi facultatem habet saltem in actu primo, eamque in actum etiam deducere secundum potest, quatenus nempe, quo minus deducat, impedimento ipsi non est ius ususfructuarii in praedio concurrens, (vid. dicta ad §. 2. h. cap.). Atqui ius ususfructuarii in praedio concurrens, postquam hic, seruitutis impositioni consentiendo, eidem eatenus, quatenus seruitus imponenda exigit, renunciat, ideo impedimento amplius esse nequit, quia ius renunciatum non amplius existit. Necesse ergo est, ut proprietatis dominus solum praedio seruitutem imponendi ius in actuum deducere secundum, h. e., actu istud exercere possit, quo-

quoties fructarius consentit. *Necesse* dixi. Enim vero si fructarius iuri suo pro ea parte, quam seruitus sibi poscit constituenda, renunciat; (renunciare autem in totum potest *L. 64. ff. de usufr.*, nedum pro parte); particula *usufructus* renunciata ad dominum redit, et cum proprietate consolidatur. Iam vero, quod dominus proprietatis, cui iunctus est *usufructus*, quamlibet seruitutem eatenus constituere queat, quatentus *usufructus* cum proprietate est coniunctus, vocare in dubium adhuc nemini in mentem venit. Liquet iam ex his, vere non *usufructuarium* seruitutem constituere, neque ex huius eam voluntate valere, sed potius a domino constitui, arque ab huius etiam voluntate tanquam vera causa efficiente suam consequi validitatem efficaciamque. Veram et hoc liquet, *usufructuarium* nec tribuere domino ius seruitutem constituendi, utpote qui id iam habuit ante, quam *usufructarius* consentiret, nempe in actu primo. Hoc tantum efficit fructuarii consensus, ut impedimentum cesseret, quod in causa fuit, ius domini in actum erumpere secundum non potuisse. Denique etiam regulae ex *L. 165. ff. de R. I.* vniuersalitas corruit. Alia omnia ex *L. 4. §. 12. ff. de dol. et mor. excepto* discimus, vbi venditio fundi a proprietatis domino *volente* fructuario facta adeo efficax esse dicitur, ut hic postea vindicans *usufructum* exceptione dolis possit repellere. Certe *usufructarius* in hac specie cum effectu consentit alienationi, tametsi ipse alienandi potestate fuerit destitutus. Conf. omnino STRYK in *V. mod Pand Lib. 7. in. 1. §. 7.* Quidquid igitur dicas, hoc incommodi semper manet. VLPIANI assertum in iis esse, quorum redi ratio non potest.

¶ *De iure servitutis in locis suis. 12. assertio. §. XII.*



¶ XII.

Missos iam facio textus nostri defensores. Nunc et eos audire fas est, quos secundi generis esse, supra (§. 6. h. cap.) dixi. Hi limam legi corruptae addendam autumant. Dignus, aures cui commodernus, ante omnes est CORNEL. VAN BYNKERSHOEK Lib. I. Obs. XI. Captu ut facilior euadat emendatio, quae loco cit. reperitur, iunat verba L. 15. ff. de usufr. finalia vna cum proxime sequentibus exscribere. Verba L. 15. cit. in fin. ab VLPIANO auctore profecta haec sunt: *proprietatis dominus ne quidem consentiente fructuario feruitatem imponere potest, L. 16. vero, quae haec verba proxime excipit, PAVLI est atque huius tenoris: nisi qua deterrior fructuarii conditio non fiat, veluti si talem feruitatem vicino concesserit, ius sibi non esse aliud tollere.* Posthaec in pr. L. 17. VLPIANVS pergit: *locum autem religiosum facere potest, consentiente usufructuario.* Et hoc verum est fauore religionis. Sed interdum et solus proprietatis dominus locum religiosum facere potest: *finge enim, eum testatorem inferre, cum non esset, tam opportune ubi sepeliretur.* Quid ad haec BYNKERSHOEK? Is putat, in verbis finalibus L. 15. pro nequidem legendum esse equidein. Hac, fateor, stante legis emendatione, admendum facili, VLPIANVS mihi non amplius contrarius videtur, sed ea potius probare, quae supra (§. 3. h. cap.) docui. Quidquid tamen sit, ut hanc emendationem probem, a me ipso adhuc impetrare nondum potui. Ratio potissima mei dissensus haec est, quod, hac emendatione admissa, verba d. L. 15. finalia cum verbis L. 17. initialibus, cum quibus illa uno contextu legenda, (L. 16. enim a Triboniano interiecta PAVLI est), ita, ut par est, non cohaereant. Si enim sibi constare haec emendatio debe-

deberet; iuris communis et regulae adinstar VLPIANO
fuisse, posse dominum, eisdem consentiente fructuari,
seruitutem imponere. Hoc vero iuris communis et re-
gulae instar si est, proprietarium nempe cum con-
fensu usufructuarii etiam in ususfructus detrimen-
tum de re sua valide disponere; sane, quid iuris singula-
ris in eo reperire sit, quod proprietatis dominus secun-
dum L. 17. pr. consentiente fructuario locum religio-
sum facere possit, non video. Iam vero VLPIANVM
hoc pro iure quodam singulari, quod a iure communi
deflecteret, et favore religionis receptum esset, habuisse,
ipsa legis inspectio docet. Accedit, quod particula autem
in d. L. 17. oppositionem notet, qualis non amplius est, si
pro nequidem legis eisdem. Et haec sunt, quibus BYN-
KERSHOEKII opinio premitur, non leuia incommoda.

§. XIII.

Suboluerunt haec viro acutissimo. Factum ea de re,
vt laudata L. 17. ab ipso sub incudem revocata in longe
alium, quam nunc habet, detorqueretur sensum. Ait
nempe pro autem et hic legendum esse item. Hac certe
mutatione efficitur, vt in d. L. 17. nullum amplius vesti-
gium oppositionis adsit, et hinc etiam incommodum cesse
ex ea resultans. Verum sic tamen alterum non vitatur,
de quo (§. praeced.), incommodum: nam ne sic quidem
ius quoddam singulare in eo deprehenditur, quod pro-
prietarius consentiente fructuario locum possit religio-
sum facere, quale ius singulare tamen verba: et hoc
verum est favore religionis, satis perspicue indicant.

§. XIV.

Et hoc non fugit emendatorem nostrum. Quare
longius procedens et rursus alia emendatione usus integ-
gra haec verba: et hoc verum est favore religionis, de

F

loco

loco pellit, atque verbis: *sed interdum et solus proprietarius locum religiosum facere potest*, immediate ita subiungit, ut sensus sit: *locum item religiosum facere potest, consentiente usufructuario*. Sed interdum et solus proprietarius dominus locum religiosum facere potest; et hoc verum est favore religionis, quasi verba: *et hoc verum est favore religionis*, ad hunc ultimum casum respiciant, quo solus proprietarius locum facit religiosum, non vero ad illum priorem, quo proprietarius hoc facit *usufructuario consentiente*, quo posito, ius illud singulare, de quo VLPIANVS, non ad casum legis priorem, sed ad posteriorem esset trahendum, adeoque hac ratione et alterum caderet incommode ex emendatione BYNKERSHOEKII oriundum, (§. 12. in fin.). Caderet, non diffiteor. Sed quis, quaeſo, non videt, nimiam esse, quam in textus emendatione Auctor noster sibi arrogauit, licentiam. Tolle si omne dubium potuiffet nequidem mutando in *equidem et autem in item*; meum facile huic emendationi calculum adieciſsem. Ast, praeter has mutationes sua facilitate excusabiles, etiam integras non dico voces, sed phrases atque sententias traicere, earumque mutare ordinem, nae hoc, me quidem iudice, est limites excedere officii interpretis praesertim legum, quae sacrosanctae nobis esse debent, quasque temere torquere atque dilacerare nefas reputandum. Et profecto artificii non amplius foret legum nodos soluere, ita eos soluere si liceret, vt Alexander soluit gordium.

§. XV.

Quaenam igitur, si haec omnia nihil sunt, tandem de sensu difficultiae legis capienda est sententia? an fortasse illi omnium maxime sapiunt, quos supra (§. h. cap.) in tertio genere collocauimus? an de eruen-

da

da decisionis vlpianeae genuina ratione desperandum cum BRVNNEMANNO, qui in suo *ad nr. L. 15.* commentario eam *spinosam*, eius vero rationem *imperuestigabilem* dicit? aut num forte cum LVDOVICI in *doctrina Pand. tit. comm. praed.* §. 2. ita pro auctoritate decendum, proprietarium nempe consentiente *vñfructuario seruitutem imponere posse*, neglectis, quas ipse vocat, *tricis L. 15. in fin. ff. de vñfr.*? Ego sane, cum his vt facias, nec auctor tibi sum, nec suasor: quid enim hoc esset aliud, quam ad ignorantiae asylum configere? Sed, ne moras diutius nectam, mihi quid videatur de famosa hac lege, propediem explicabo.

§. XVI.

In eo sane BYNKERSHOEKIVM laudo, correctione quadam ad textus difficultatem remouendam opus esse, quod statuat. Fac enim, manum eum non pati, relinque verba intacta, et deinde quid? dicere nempe debebis, *proprietarium nequidem consentiente fructuario seruitutem imponere posse*, sed idoneam, mihi crede, tui asserti nunquam laudabis rationem, bellum praeterea perpetuum tibi erit gerendum cum fanae rationis non minus, quam iuris ciuilis notissimis principiis, (vid. demonstr. §§. 2. 3. et 11. h. cap.), et, eheu! quam vapulabis. Denique, quod ipsum fere peius, VLPIANVM a contradictionis vitio difficulter liberas, *L. 15. in fin. ff. de vñfr.* cum *L. 8. ff. de aq. et aq. plau. arc.* conferens, (vid. §. 4 h. cap.). Sed tamen BYNKERSHOEKII emendationem vt pro probabili, nedum certa, habeam, rationes vetant (§§. 12. 13. 14. h. cap.) in medium allatae. Eia! aliam, si volupe est, coniectaram accipe. *Coniecturam* dico, quam si reiiciendam putabis; reiice, pace mea. Sed tuum deinde erit, in

eius locum surrogare meliorem. Quid itaque, si in textu nostro nihil muremus, quam hoc, ut in utroque VLPIANI loco, nempe L. 15. in fin. et L. 17. pr. ff. de usufr., pro *consentiente* legamus *conscientie*? Profecto sic salua erunt omnia, VLPIANVS constabit sibi, nec sanae rationis iurisue ciuilis principia amplius reclamabunt. Age, ostendam.

§. XVII.

VLPIANVS in d. L. 15. §. 7. in eo fuit, vt defini ret quaestionem: an proprietatis dominus seruitutem fundo imponere possit? et respondit in verbis initialibus d. §. 7. hunc in modum? sed nec seruitutem imponere fundo potest proprietarius, quae verba utique de tali seruitute accipienda sunt, qua deterior fructuarii conditio fit: secus enim nulla reddi ratio posset, cur ICTUS proprietario, utpote fundi domino, facultatem denegauerit seruitutem, usufructui prorsus innocuam, imponendi (§. 2. h. cap.), id quod etiam PAVLVS in L. 16. ff. de usufr. innuit. Sed quid, (forte VLPIANO obiecit quidam, aut saltē obiicere potuit), si proprietarius seruitutem imponat conscientie seu scientie et non contradicente usufructuario; an et tunc seruitutem imponere nequit? Et VLPIANVS hanc obiectio nem apprehendens respondit: proprietatis dominus ne quidem conscientie fructuario seruitutem imponere potest. Quod vero VLPIANVS in his verbis obiectioni vel dubio cuidam, quod a consensu vel scientia usufructuarii de sumtum fuerat, aut desumi saltē poterat, obuiam ire voluerit, ideo credendum, quod paulo ante generatim et prorsus nulla usufructuarii mentione facta dixerit, proprietarium fundo seruitutem imponere non posse, nunc vero expressam usufructuarii mentionem faciens dicat,

dicat, proprietatis dominum *nequidem consentiente* (conscientie) *fructuario* seruitutem imponere posse. Iam vero VLPIANI decisionem potius de obiectione ab *vſufructuarii scientia*, quam ab eius *consensu* defumta accipiedam esse, facile est ad coniecturandum: cum probabile non sit, de eo, an proprietarius possit *consentiente vſufructuario* seruitutem imponere, VLPIANI aevo quempiam dubitasse, aut hanc quaestione fuisse negaturum, nulla quippe idonea dubitandi negandue ratione sese offerente (per dicta §. 3. & 11. h. cap.). At vero ita si proponatur quaestio, an proprietarius seruitutem imponere possit *fructuario conscientie*? profecto non paulo maior causa dubitandi sese exserit, num nempe ex *fructuarri scientia*, coniuncta cum patientia, eiusdem consensu atque tacita quaedam iuris sui renuntiatio non enascatur, quae sufficiat domino seruitutem imposituro. Valde igitur est credibile, VLPIANVM in d. L. 15. huic posteriori, non autem illi priori quaestioni respondisse, adeoque et hoc valde est credibile, non esse legendum *consentiente*, sed potius *conscientie*. Sed quare ICtus quaestionem, an proprietatis dominus *conscientie fructuario* seruitutem imponere possit, *negative* definuit? Rationem non improbabiliter hanc laudo: videtur nempe VLPIANVS in ea sententia fuisse, in materia seruitutum ad hoc, ut quis iuri suo renunciasset dici queat, requiri, ut de eius consensu perspicue et certo constet, nec oportere, consensum in hac materia nimia quadam facilitate colligi, et ex hoc deinde renunciationem, renuncianti maxime odiosam, inferri, sed factis potius eiusmodi opus esse, ex quibus consensus et renunciandi animus euidenter resulteret, at vero solam *vſufructuarii scientiam* atque *patientiam* ita com-

F 3

para-

paratas minime esse, ut ex iis consensus et renunciandi voluntas euidenter fluat, sed his clariora ad hanc voluntatem colligendam argumenta desiderari, indagandumque praeterea esse, an consentiat. Non mediocriter haec de hac VLPIANI sententia opinio arg. L. 8. ff. de aq. et aq. pliu arc. iuuatur, vbi idem VLPIANVS in simili specie ait, *exquiri* debere, an consentiant ii, quorum ius minuitur seruitutis impositione, quod verbum *exquiri* sane amplius aliquid denotat, quam solam scientiam atque patientiam, quae itaque ad inducendam iuris seruitutis renunciationem ex mente VLPIANI non sufficit, sed certiora consensus argumenta ab eo desiderantur. Multo vero luculentius haec VLPIANI doctrina ex L. 5. ff. de S. P. V. eluescit, vbi idem ICtus aperte docet, *mutum* in seruitutibus accipendum esse non solum eum, qui contradicit, sed et eum, qui non consentit. Non ergo sola usufructuarii scientia ex hac VLPIANI doctrina sufficit, sed *consensu* opus est, qui si non interuenerit, seruitus a domino *in iusto fructuario* constituta dicenda est. Dixi, VLPIANVM in materia seruitutum ita sensisse: in aliis enim iuris capitibus alia souisse principia videtur, de quibus videatur L. 2. §. 2. ff. solut. matrim. et L. 1. §. 3 ff. de tribut. act. Caeterum negatiuae decisioni L. 15. in fin. ff. de usufr. etiam MARCIANVS in materia pignoris fauet, dum in L. 8. §. 15 ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solu., creditorem, quo sciente et paciente debitor rem (oppignoratam) vendidit, consensisse non videri, adeoque nec pignus amisisse, dicit, plus ad huius iacturam requirens, nempe ut creditor subscripterit in tabulis emtionis, vel etiam sine scriptis consenserit, consensu videlicet expresso vel alias sufficienter declarato. Rebus ita comparatis, arque hac legis nostrae

nostrae emendatione supposita, VLPIANVS prorsus non aduersatur propositioni (§. 3. h. cap.) prolatae: cum sic de proprietatis domino consentiente fructuario seruitutem imponente ne quidem verba in textu nostro faciat, sed dubiam potius quaestione resoluat, an nimurum in casu, quo dominus seruitutem imponere vult vsufructuario *sciente et non contradicente*, hic consensisse, et sic iuri suo renunciassē, censendus fit. Sed, quaelo, quid hoc ad me? quid ad propositionem (§. III.) allatam?

§. XVIII.

Vt vero appareat, cum textu ita emendato etiam sequentes optime cohaerere, in eiusdem expositione pergo. Proposuerat VLPIANVS in L. 15. fin. hanc regulam: *proprietatis dominus ne quidem consciente fructuario seruitutem imponere potest*. Sed PAVLVS, quia haec regula in iis tanrum seruitutibus procedit, quae deteriorem fructuarii conditionem facere possunt, et tamen vniuersalitas regulae errori anfam praebere facile potuissér, in L. 16. mox subsequente illam sic limitandam censuit: *nisi qua deterior fructuarii conditio non fiat, veluti si talem seruitutem vicino concederit, ius sibi non esse altius tollere*, quasi dicturus, regulam VLPIANI in seruitutibus vsufructui non damnosus non esse admittendam, ytpote quas proprietarius imponere posset non solum sciente, sed et ignorantie, imo inuito vsufructuario.

§. XIX.

Verum sic et *oppositio* salua est, salua quoque iuris singularis indeoles, quam vtramque in seq. L. 17. pr. reperiri, supra monui (§. 12. prope fin.). Dixerat VLPIANVS in L. 15 fin., *proprietarium ne quidem consciente fructuario seruitutem imponere posse*. Iam vero in

in L. 17. pr. sic porro docet: *locum autem religiosum facere posse* (proprietarius) *consciente usufructuario*. Hunc igitur casum ICTus *opponit* illi priori, hanc inter vtrumque differentiam notans, quod, si de religione loco imponenda agitur, sola usufructuarii scientia ac patientia pro consensu sit, at vero, si de seruitute imponenda quaestio est, secus omnino se rem habere, atque tunc praeter scientiam *consensum* usufructuarii necessarium esse. Quod vero in religione imponenda sola fructuarii scientia atque patientia instar consensus sit, hoc ex VLPANI doctrina omnino iuris cuiusdam *singularis* indolem habet, vtpote cuius in materia amittendarum per renunciationem seruitutum alias longe alia esse principia, ex (§. 17. h. cap.) nouimus. Ait autem, rationem huius iuris singularis in *favore religionis* esse quaerendam. En et huius et praecedentis legis cum d. L. 15. in fin. ff. de *usufr.* conuenientiam minime contortam.

§. XX.

Coronidis loco hanc addo allatae de lectione d. L. 15. conjecturae probationem. Si lex quadam emendanda; ea emendatio; quae facilis est, et mutatis, additis aut abiectis paucissimis literulis sit, sono vocis codem ferme remanente, et tamen omnia incommoda remouet, quae alias textrum premunt emendandum, maxima sane probabilitate gaudet, de quo, neminem credo tam insulfsum esse, vt dubitet. Atqui verba finalia L. 15. ff. de *usufr.* sunt emendanda (§. 16. h. cap.), emendatio vero (d. §. 16. in fin.) obvia facilis est, vtpote facta abiectis atque mutatis paucissimis literulis, sono tamen vocis fere eodem remanente, vt res ipsa docet, atque praeterea, quae in d. L. 15. alias cadunt, incommoda remouet: cum verba d. L., hac stante emendatione, vtique nihil absurdius amplius continant, (vid. §. 17. h. cap.). Ergo emendatio, (§. 16. in fin.) obvia, maxima gaudet probabilitate. Et hoc est, nihilque amplius, quod volo.

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO
R E S P O N D E N T I
S. P. D.
P R A E S E S.

Hem, Aduersarius tuus cum VIRGILIO a) exclamabit, monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademum, cum de nuda proprietate pleno dominio, ut et proprietatis domino seruirutem imponente in dissertationis fronte verba conspiciet. Si enim, (disputantem audire illum mibi videor), teste CICERONE b) id cuiusque est proprium, quo quisque fruitur atque vtitur; grauiissime eos hallucinari oportet, qui plenum in nuda proprietate dominium seruitutesque constituentis ius ponunt. Noli, CANDIDATE prae nobilissime, haec audiens extimescere: nosti enim, vel me non monente, quantum ubique Tibi praesidium policeantur LL. auctores. Video in castris tuis VLPIANOS, NERATIOS, PAVLOS,

G

imo

a) Aeneid. Lib. III. vers. 658.

b) Lib. VII. Epist. 30.

imo ipsum video IVSTINIANVM. Hoc habes, quos se-
quaris, ducens bellum, ubi Tibi classicum canunt, ubi militant, Tibi.
Rebus sic comparatis festra omnia erit, quod modeste petiisti,
praesidium meum: ipso enim iure ubi satis munitus quis est
cessare partes Praetoris compertum habemus e). Præterea illi
sunt, quos indefessa, quam Iurisprudentiae addiscenda per in-
tegrum triennium in Fridericiana nauasti, opera Tibi paravit,
profectus tui, ut ipsi sufficientes sibi Praejidis auxilium deiderare
minime videantur. Age itaque, aggredere, quae constituta Tibi
est, laudabilem rem. Confice, quem adhuc egregie cucurristi, cur-
sum: nec enim procul a meta es. Eam, ne dubita, consum-
mato, quem paras, confictu disputatorio continges, et deinde
quid? ibis, atque non mediocri iuris scientia imbutus ibis pa-
trios rensum lares. I bonis igitur aubus, suauissimique PA-
RENTIS, viri forensium rerum peritissimi, iucundissimi, ubi
adueneris, amplexibus primum recreare, postea vero Patriæ coni-
modis omne tuum studium consecra, certus, fore, ut publico
tempestive admotus officio meritum capias praemium laboris. Vale
atque antiquo illo tuo amore me et in posterum prosequere.

Dedi in Fridericiana d. XXVI. Jun. MDCCCLVI.

CICERONE (iunior) h. 16. L. 3
CANDIDATE
ALTIUS NEVATOS PAVTOS

30 LIB. A. B. 30
VENICE LIB. III. 1672. 28



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

C. D. de CALBO
OPPONENTS.
DOMINO CANDIDATO

I. H. D. ANTIERES

Ne vultum TIBI a me defit humanitatis officium, quod quidem
huius temporis rationes a me exigere videntur: his paucis
et gratissimum TIBI, pro eo, quo me adfecisti honore, animum
meum explicabo et felicem in patriam redditum gratulabor. Non
leuiter enim commonor, cum opponentis munere me a te videam
esse ornatum. Quin quoties animura subilitatibus a te in me
profecti offici memoria: iucunda mihi semper erit ac grata cogitatio,
Sed quid de reditu TVO dicam? Poteritne ille, postquam trien-
nium abstisti, parentibus atque propinquis TVIS non laetissimus,
TIBI vero, qui toto eo tempore summa industria atque ardore litter-
aris operam dedisti, non vitilissimus ac exoptatissimus esse? Haud
sane obscurae augurior, nec dubito quidem fore ut redux in patriam
studiorum tuorum percipias fructus uberrimos et ut lactiflavia prae-
mia consequaris illis proposita, qui ea animi intentione eoque, quo
TV fecisti, studio ad metam ipsis praefixam tendunt. Atque haec
quidem sunt, quae ut TIBI contingant, quam maxime opto. TE
vero

H



verò etiam atque etiam vogo ut aliquem mihi concedas locum, iu
número amicorum tuorum meique benevolam seruus memoriam. Vale.
Dabam Halae ad Salam d. XXIII. Jun. M D CCLVI.

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

I. F. D'ANIERES
OPPONENS.

Prorsus nihil iucundius AMICO elegantiarum literarum studio
aque ac inculpatis moribus commendabili. Hinc dolet me tunc
demum amicitiam TECUM contraxisse vbi in eo ut a nobis discederes
positus eras. In patriam Diis voluntibus redux, spero nos arctiori
vinculo coniunctos fore, nisi satan vel TE TVISque meritis digna
fortuna TE nobis cripiat. Quod me opponentem elegeris, benignitati
TVAE erga me adscribendum: et TV potius rationibus TVIS con-
suluisse, quam meas pensatasse vires videris. Vale et me semper TVI
amicissimum et deuotissimum seruum futurum nullus dubita. Dabam
Halae XXII. Calend. Ian. A. a Ch. N. MDCCCLVI.

MON-



MONSIEVR,

J me faut avouer, que les preuves de Votre amitié, dont
Vous m'avéz honoré, pendant que j'ai eû l'honneur
d'être en liaison avec Vous, sont si fréquentes et si désin-
téressées, que je perds presque courage, d'être jamais ca-
pable de Vous vendre à quelque façon la pareille. Car
non content des hūmanités précédentes, Vous me donnez
encore aujourd'hui une preuve très singuliere de Votre agre-
able amitié, me croyant digne de l'honneur d'être Votre
opposant. Je Vous proteste Monsieur, que la bonne con-
fiance, que Vous avez eû la bonté d'avoir en mes perites
perfections, m'a procuré le plus sensible plaisir, puisque
Vous m'avez fourni par la l'occasion la plus favorable, de
Vous temoigner à quel degré je sois Vôtre ami. Du reste
je Vous felicite Monsieur, de la solide erudition, que Vous
venez de Vous acquerir et dont Vous allez rendre aujourd'-
hui un temoignage incontestable. Je felicite en même
tems Vôtre célèbre famille, principalement ceux, qui Vous
ont donné le jour et qui jouiront en peu de tems du plaisir,
d'embrasser un fils si bien élevé, qui par ses admirables qua-
lités, ne manquera d'être à l'avenir la gloire de sa famille.
Qu'est donc qui me reste encore? rien, si ce n'est que je
Vous prie Monsieur, de n'être pas moins mon ami absent,
que

que Vous l'avez été pendant le séjour, que Vous avez fait
ici. Soyez persuadé de ma part, que je ne césserai jamais
d'être avec le plus sincère attachement.

MONSIEVR,

VOTRE

à Halle
ce 23 Juin
1756.

très-humble et très-obéissant Serviteur.
JEAN GEOFFROI ALSLEBEN
DE HALBERSTADT
ETUDIENT DES DROITS ET OPPOSANT.



ULB Halle
001 607 952

3



sb.

VD18





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



G.23. num. 5.

1756
40

DISSERTATIO IVRIDICA

DISSERTATOIURIDICA)

VDA PROPRIETATE
PLENO DOMINIO
VT ET
OPRIETATIS DOMINO
SERVITVTEM IMPONENTE,

Q V A M

PRAESERTIM OCCASIONE

L. 4. et 15. in fin. ff. de vufr.

PRAESIDE

LIPPO JACOBO HEISLER

JVRIVM PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO

DIE I. IVLII MDCCLVI.

PUBLICE PROPVGNABIT

RVDOLPH CHRISTIAN FRIEDEL

BEROLINENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
EX OFFICINA HILLIGERIANA.

EX OFFICINA HILLIGERIANA

KONFRIED
UNIVERS.
ZU HALLE

